Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8250
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

de sancto & de syon tueatur te. Memor sit omnis sacrificii tui & holocaustum tuum pinsue fiat. Tribuat tibi secundum cor tuum & omne consilium tuum confirmet. Letabimur in salutari tuo & in nomine dei nostri magnificabimur. Implear dominus omnes petitiones tuas. Nunc cognovi quoniam salvum fecit dominus xpm suum. Exaudiet illum de celo sancto suo in potentatibus salus dextere eius. Hi in curribus & hi in equis nos autem in nomine dei nostri invocabimus. Ipsi obligati sunt & ceciderunt nos autem in nomine dei nostri surreximus & erecti sumus. Domine salvum fac regem et exaudi nos in die qua invocavimus te.

Domine in virtute tua letabitur rex & super salutare tuum exultabit vehementer. Desiderium cordis eius tribuisti ei & voluntate labiorum eius non fraudasti eum. Quoniam prevenisti eum in benedictionibus dulcedinis posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. Vitam petit a te & tribuisti ei longitudinem dierum in seculum seculi. Magna est gloria eius in salutari tuo gloriam & ~~magnificentiam~~ magnum decorem impones super eum. Quoniam dabis eum in benedictionem in seculum seculi letificabis eum in gaudio cum vultu tuo. Quoniam rex speravit in domino & in misericordia altissimi non commovebitur. Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis & dextera tua omnes

venerant omnes qui te oderunt. Pones eos ~~dorsum~~ in reliquias tuas in conspectu vultus tui dominus in ira sua conturbabit eos & devorabit eos ignis. Fructum eorum de terra perdes & semen eorum a filiis hominum. Quoniam declinaverunt in te mala cogitaverunt consilia quae non potuerunt stabilire. Quoniam pones eos dorsum in reliquias tuas preparabis vultum eorum. Exaltare domine in virtute tua cantabimus & psallemus virtutes tuas.

Deus deus meus respice in me quare me dereliquisti longe a salute mea verba delictorum meorum. Deus meus clamabo per diem & non exaudies nocte & non ad insipientiam mihi. Tu autem in sancto habitas laus israel. In te speraverunt patres nostri speraverunt et liberasti eos. Ad te clamaverunt & salvi facti sunt in te speraverunt et non sunt confusi. Ego autem sum vermis & non homo opprobrium hominum & abiectio plebis. Omnes videntes me deriserunt me locuti sunt labiis eorum & moverunt caput. Sperav in domino eripiat eum salvum faciat eum quoniam vult eum. Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre spes mea ab uberibus matris meae in te proiectus sum ex utero. De ventre matris meae deus meus es tu ne discesseris a me. Quoniam tri